[illegible]ile)

Scrobisservii Jacobi: Quaestio ad c. Ex literis

Ext. de dolo et cont.

~~2710 Prano~~.

QVÆSTIO
ad
c. EX LITERIS EXT. DE DOLO ET CONT.

A

M. IACOBO SCROBISSEVIO,
PRO ASSEQVENDA PRIMA IN IVRIDICA facultate laurea, die iiij. Iul. hora x. in Coll. DD. Iurisc. publicè ad disputandum proposita.

Skrobiszewski [Estr. VIII. 187]

Præsidente Clarissimo D. M. Thoma Eustachio à Piatek, I. V. Doctore et Professore.

CRACOVIÆ,
Apud Viduam Iacobi Sibeneycher,
Anno Domini, M. DC. VI.

r



Indefessum animal cursu quid in æthera tendis?
Adiungi superis vnica cura mihi.
I pede felici, terris tamen vsque superstis,
Præmia dum quærit cum probitate fides.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO HIERONYMO SOLICOVIO, ABBATI Wachocensi, Domino & Patrono,

M. IACOBVS SCROBISSEVIVS Salutem, & felicitatem.

LIcet quidam felix naturæ interpres in Græcia dixerit, ABBAS REVERENDISSIME HIERONYME SOLICOVI, πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. & alter si non doctior, certe eloquentior in Latio confirmarit, omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem: & alius desiderium discendi, solam optimã rationem viuendi existimauerit: pauci tamen, nescio quo pacto, ad naturalem scientiarũ fontẽ accedunt, pauciores ex hoc latißimo profluente ingeneratam sitim restinguere contendunt. Et quod inhumanum magis & contra naturæ legem, fuerunt (vtinam non sint) qui ad hæc limpidißima fluenta iter monstrare ignaris, cum potuerint & debuerint, noluerũt: fuerunt, qui posteaquam hinc gustarunt vel hauserunt ipsi, currentes alios vel retardarunt, vel retinuerunt: nec desuerunt, qui eisdem laticibus aßidentes, tanquam ociosum hominum genus, & terræ pondus inutile contempserunt, & deriserunt; cum reuera plus ex eorum ocio, quam ex multorum negotio incrementi ornamentiq; in Resp. redundarit. atq; adeò in hoc toto genere plures iniqui æstimatores, quam æqui iudices inueniuntur. Hæc cùm aduertisset prudentißimus Imp. Iustinianus, cum summa interminatione edixit, vt nemo audeat, cùm ex aliis, tùm ex his qui legitima peragunt studia, indignos & peßimos, imo magis seruiles, & quorum effectus iniuria est, ludos exercere, & alia crimina vel in ipsos professores, vel in socios suos, & maxime in eos qui rudes ad recitationem legum perueniunt, perpetrare: cùm oporteat prius animas, & postea linguas fieri eruditos. Hinc (vt ego quidem existimo) bonarum

literarum studiosi, imo & Antecessores ipsi, dum luci quippiam credere destinant patronos quærunt: vt si minus à maleuolorum voculis tuti esse poßint, in patronorum tutela & beneuolentia conquiescant. Laudatißimam consuetudinem & ego secutus, in hoc deflexu continuati in studio Iuridico biennii, de Renunciatione publica in Baccalaureum Iurisprudentiæ cogitans, positiones de Dolo & Contumacia ordinatas, fero ad te Vir amplißime, easdem tuo illustri nomini dico, & consecro. Dabis scio his apud te locum, cùm ob eximium tuum in Academiam nostram animum, tùm ob propensam tuam in me voluntatem; quod enim tempus fuit, quis locus, in quo tu mihi singularem beneuolentiam non exhibueris? Candidißimi tui & optimi animi hoc opus. Secutus prætereà & hic es exemplum beatæ recordationis pientißimi illius Leopoliensium Antistitis IOANNIS DEMETRII patrui tui, de cuius laudibus & meritis erga Ecclesiam Dei & patriam, nulla vnquam ætas conticescet, qui me quoq; dilexerat, & quas offerebam lucubratiunculas libenter acceptabat. Habet quippe hoc animus bene eruditus, quod conscius quanto cum labore proficere detur mortalibus, parua placidè excipit, errata humanitus illapsa flectit in benigniorem partem. Sed de tam præstanti viro præstat tacere quam pauca proloqui. Tu interim, meæ erga te, nobilißimamq; familiam tuam perpetuæ obseruantiæ hoc leuidense pignus, vultu sereno accipe. Vale Vir amplißime diu felix. Crac. è Contubernio Iuristarum Kal. Iul. M. DC. VI.

QVÆSTIO
ad
c. Ex Literis Ext. de Dolo & Cont.

V. *Iudex contumacem Reum, præter rei petitæ sequestrationem, in expensis, quas propter ipsius contumaciam vel dolosam exceptionem Actor fecisse dignoscitur, condemnare possit & debeat: necne?*

CONCLVSIO I.

Propter Rei Contumaciam Iudex rem petitam sequestrare potest.

COROLLARIA.

I. Iudex priusquam contumacem quempiã pronunciet, rei qualitatem plena inquisitione inprimis discutiat oportet.

II. Res de qua controuersia est, ex partium consensu sequestrata, amoueri à sequestre

lite

lite pendente non poteſt, niſi in iure expreſsis caſibus.

III. Sequeſtratio neceſſaria directa nobili officio Iudicis, poteſt in tertium fieri.

IV. Sequeſtratio quæ fit propter ſcandalum euitandũ, non tollitur per ſatiſdationem, niſi per hanc tollatur & ſcandalum.

V. Vt rerum, ſic perſonarum, in caſibus à iure permiſsis ſequeſtratio procedit.

CONCLVSIO II.

Ad quaſcunq; expenſas per contumaciam vel doloſam exceptionem Reus Actorem adduxiſſe dignoſcitur, in iiſdem condemnari debet.

COROLLARIA.

I. Si arbiter efficiatur inimicus partis, contra petitorem pœnæ, obſtat doli exceptio.

II. Peremptoriam exceptionem opponens, ac in eius probatione poſt acceptas inducias deficiens, cauſa dilatæ litis, ad expenſas damnandus eſt.

III. Regulare eſt, victum in fine litis victori in litis expenſis condemnari.

Conde-

IV. Condemnatus in expensis, si soluendo non fuerit, secundum arbitrium discreti Iudicis punietur.

V. Quoties partes iustas causas litigandi habuerint, in litis expensis Iudex æquitate compensationis vtetur.

CONCLVSIO III.

Contumacia & Dolus malus iudicialiter patefacta, semper punienda sunt.

COROLLARIA.

I. Contumax melioris conditionis quam obediens esse non debet.

II. Dolo malo violatur Ius humanę societatis.

III. Quoties Dolus malus dat causam contractui, agitur actione pœnali de Dolo malo, non ex contractu, quia nullus est.

IV. Dolus malus si inciderit & superuenerit contractui, agitur ex contractu ad restitutionem rei, vel ad supplementum residui, vt dolus purgetur.

Actio

V. Actio de Dolo malo, non datur contra perſonas quibus pietate obligamur.

Hæc Quæſtio, cum ſuis Concluſionibus & Corollarijs diſputabitur in Lectorio D D. Iuriſc. Academiæ Crac. Die iiij. Iul. Hora x.

1855
1798
———
57